



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 1. Quid sententia, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

TITVLVS IX.

De Sententia, & re Iudicata.

Rimus intentionis, postremus legitimattonis actus sententia iudicis est. Propter illam lis inchoatur, pro illa terminatur Ipsa controversiæ imponit finem, res iudicata accipit. Inter hæc duo qui non faciunt differentiam, produnt ignorantiam. Partibus transactione posthabita solam litis decisionem, expectantibus. Post accuratam actorum omnium discussionem, & adhibita iuris peritorum consultatione Iudex ad sententiam pronunciamdam accinget se iuxta ea, quæ in sequentibus explicare aggredimur.

§. I.

Quid Sententia, & quotuplex?

I. Sententia est definitio Iudicis legitima finem cause, seu controversia imponens. Vnde Paulus 1 C. ff. de arb. Sententiam, inquit, dicere existimatur is, qui eâ mente id pronunciat, ut secundum hoc discedere eos, qui litigant, à tota controversia velit. Res iudicata vocatur ipsa causa, per sententiam decisa, vel absolutione, vel condemnatione. l. 1. ff. hoc. Tit.

Quin etiam sententia ipsa, quæ lap-

su temporis manet quasi à partibus acceptata, & approbata non male res iudicata appellari potest, eo que pacto lolemus dicere. Sententiam transire, vel transivisse in rem iudicaram. *Marana Par. 6. de eod. iudicior. hoc. tit. n. 128. Ferrar. in Forma sententia definitiva pag. 179. Barb. in c. 1. h. t.* qui insuper monet, quando rei iudicatæ mentio simpliciter fit, in aliqua dispositione, vel mandato, intelligendum esse & de re iudicata respectu temporis præteriti, quo sententia lata est, & respectu temporis decennalis finiti, post quod nullus amplius locus est appellationis: in dubio autem intelligendum de posteriori tempore, per *c. pen. de sent. excom.* iuxta quæ clausula mandati *Vt rei iudicata prius pareatur. Vel dummodò pareant iudicatis.* de posteriori re iudicatâ explicentur. Sic enim absque præiudicio, aut saltem cum minore ipsius, contra quem impetratum est, damno & periculo fiet. Si autem princeps causam committat cum clausula *Non obstante re iudicata,* de priori tempore accipiendum erit, tum propter causam modò dictam, tum ne lites iam sopitæ iterum suscitentur. Nam decennio elapso sic confirmata putatur Iudicis sententia, ut nulla amplius mutationem admittat

mittat, quemadmodum inferius suo loco prolixius dabimus explicarum. *Novel. 23. Nov. 119. c. 5. Auth. Hodie, Treutl. Disp. 23. n. 5.*

II. Sententia alia est Definitiva, alia Interlocutoria. Definitiva est, quæ principalem causam, seu controversiam definit, absolvendo, vel condemnando. *l. ff. de re iud. l. qualem 19. §. 1. ff. de receptu arb.*

Interlocutoria dicitur, quæ non de summa controversia, sed rebus ad eam definiendam pertinentibus pronunciat, vel, quæ inter principia, & finem causæ super aliquo emergente, vel incidente profertur. *Glo. in Cle. 1. de sequest. poss. l. post sententiam. c. de sent. & interloc. puta, de cognitione differenda, de testibus producendis, de quæstionibus, tormentis, & sim.*

Ficitiam interdum, ut post finem causæ interlocutoria aliqua profertur. *l. Cum de ioc. C. de episc. & cler. l. tubemas, & ibi Glo. de advocatis divers. iud.* Interdum etiam, ubi non est aliquod principium, vel finis. *s. si quis autem. Novel. de heredib. & falcidia.* Unde aliqui generaliter censent vocandam esse interlocutoriam Iudicis determinationem ad aliquem articulum pro faciliiori expeditione. *Tholos. l. 50. c. 1. Lancel. l. 3. tit. 15. Sanchez. l. 6. Consil. 63. Dub. 9. Silv. V. sententia n. 3.*

III. Interlocutoria sententia dividitur in merè interlocutoriam, & eam quæ habet vim sententiæ definitivæ. Merè interlocutoria neque negotio principali, neque articulo alicuius negotii principalis finem imponit, adeo-

que non parit præiudicium irreparabile, & ab eodem iudice revocari potest. Interlocutoria vim definitivæ habens dicitur, quæ parit præiudicium irreparabile per supervenientem Definitivam vel appellationem à Definitiva. Talis est omnis illa, quæ articulum substantialem negotii principalis decidit, v. g. Titium, qui quoddam minor sit restitutionem in integrum petit, non esse minorem. *V. Marant. Par. 6. in vers. Et demum. fertur. §. Decisoria iudicii. num. 42. & sequ. v. sententia num. 2. Cardin. Tuschus in lit. S. Concl. c. 111. & 112.*

IV. Definitiva sententia ab interlocutoria differt multis modis.

Primo ratione materiæ, quæ in hac particularis, in illa universalis seu generalis est, ut ex modò dictis liquet.

Secundo. Definitivam non potest revocare Iudex, nequidem ex consensu partium, sive lata sit in causa civili, sive in criminali.

Excipe principem, qui ut supremus Iudex, arbitrio suo mutare, & corrigere sententiam potest. Mera interlocutoria verò admittit revocationem etiam nemine petente, aut consentiente. Nec solus Iudex, qui tulit eam, sed is quoque, ad quem appellatum fuerit, revocare potest. *l. quod iussit, & ibi Bart. ff. de re iudic.*

Limita. 1. Nisi mandata executioni sit: sicut enim res non manet integra. 2. nisi transferit in formam contractus, vel quasi contractus. 3. nisi lata sit cum sententia principali, quia

tunc censetur pars illius. 4. nisi appella-um sit à iudice, quicam tulit, & appellationem ad hunc: quia sic abdicat à se iurisdictionem. Denique nisi superio: iudex prohibuerit.

Tertio differt, quia Definitiva scripto ferri debet: interlocutoria non item.

Quarto. Definitiva præter ordinem iuris lata invalida censetur, secus de interlocutoria existimandam, quæ ordinem iuris non attendit.

Quinto. Definitiva irrita est, si ad verba pars non fuerit citata, quod in interlocutoriâ minimè requiritur.

Sexto. Addunt aliqui Definitivam à stante pronunciamdam esse, quod necessarium non est in interlocutoria.

Septimo. A definitivâ semper appellari potest, ab interlocutoria, vel nunquam appellatio fit, vel rarissimè.

Octavo. Denique definitiva non nisi causâ cognitâ proferatur: interlocutoria verò etiam extra causâ cognitionem. *l. Quid ergo, §. 4. ff. de his qui notantur infam. Maran. pag. 231. & sequi. Azo insum. l. 7. Rubr. 43. & esenbec. in ff. l. 42. tit. 1. Lamel. l. 3. Inst. tit. 15. Canon. l. 4. tit. 14.*

V. Non desunt, qui secuti *Speculatorem* in Rubr. de sent. plures sententiæ species numerent. Nam præter modo explicatus, aliam dicunt esse sententiâ præcepti, aliam decreti, aliam multæ, aliam banni &c: Verum, si accuratè inspicias, intelliges ad Definitivam,

& interlocutoriam omnes revocari posse, quemadmodum Marantia fute ostendit.

Vt alia omitram, Decretum strictè acceptum nihil aliud est, quàm sententia interlocutoria qua iudex decernit, aliquem v. gr. mittendum esse in possessionem, alimenta pupillo subministranda, minorem in integrum restitutum esse, & simil. Si tamen ad sententiam interlocutoriam pertinent etiam comminationes, epistolæ, & subscriptiones iudicum, ut *Tholos. ult. l. 50. c. 1.* ampliandum erit Interlocutoria nomen, & à propriâ significatione liberandum.

§. 2.

Modus ferendi sententiam definitivam.

I. **A** Vditis litigantium rationibus, & iustitiæ libra accuratè pensatis, totoque iudicii ordine completo, partibus peremptoriè citatis, sententia proferenda est ex scripto, in loco publico, & consueto, ipso die, & hora, ad quam citatio facta est. Iudex, & non alius sententiam pronunciare debet, nisi consuetudo aliud velit, vel persona illustris sit, cui propter nobilitatis prærogativam per alium id facere permittitur. Illustribus personis episcopus accensetur, cui propterea eadem prærogativa datur *in c. fin. de sen. & re iud. in. 6.* ubi additur, si sententiâ stando, & nõ sedendo proferatur, nullius esse momenti: intellige, modò non habeat impediri.